

V C
4585



5. 34
Ca



h. 34^b, 13.

OK 34^b

13

I, 4

Vc
4585

ORATIO PANEGYRICA

De

BELLO TRI-
CENNALI GER-
MANICO

&

Partibus tam togatis, quam sagatis

SERENISSIMI SAXONIAE

ELECTORIS

in isto spectatis
habita

In Templo Academico, XXII. Julii,

Soteriorum die publicè

indictò

â

L. HIERONYMO KRONMAYERO

Profefs. Publ.



LIPSIÆ,

Typis HENNINGI COLERI,

M DC L.



SERENISSIMO ac POTENTIS-
SIMO PRINCIPI
ac DOMINO,

DNO JOHANNI
GEORGIO,

Sax. Juliae, Cliviae & Montium
Duci, Sacri Romani Imperii Archi-Marschallo
& Electori, Landgravio Thuringiae, Marggravio Mis-
niae & utriusque Lusatiae, Burggravio Magdebur-
genli, Comiti de Marca & Ravensburg,
Domino de Ravenstein,
&c.

DOMINO MEO CLEMEN-
TISSIMO;



ebionibus Misniae descendentes, Ducis Sabaudia &
Principes Illustres plures sanguinem suum regium de-
rivant. De rebus gestis, priusquam ad Marchio-
nes Misniae, Electoribus Saxon, & Brandenburg.
ALBERTI URSI posteris extinctis, Electoralis
dignitas, parario FRIDERICO BELLICOSO,
transferretur, dicere non attinet impresentiarum:
FRIDERICUM tantum hunc, ALBERTUM Ne-
potem Imperii dexteram, MAURITIUM & AU-
GUSTUM abnepotes videamus, quam fideles Im-
peratoribus & Imperio extiterint, quas res praclaras
in toga & sago pro salute communis patriae Germanicae
Nationis egerint, quae pericula consiliis & armis suis
à Concivibus suis in Imperio averterint. In primis
si lucem Evangelii è tenebris Papatûs resplendescen-
tis intueamur, Saxonica Domui & patrocinium & do-
micilium primum (quem honorem huic Augustissi-
mae familiae proprium esse voluit DEVS) coloniis in-
de longè latequè ductis illa debet. Præterquam
enim, quòd ex ERNESTINA linea FRIDE-
RICVS Sapiens Lutherum in ditionibus suis fove-
rit, JOHANNES Confessionem Augustanam
exhibuerit, JOHANNES FRIDERICVS ean-
dem cum vitæ ac fortunarum discrimine propugna-
verit, ex ALBERTINA MAURITIO
certè

certè pacem religionis, Germania Palladium, AUGUSTO concordiam inter Augustan. Confessionis socios, & inde resultantem Ecclesiarum Evangelicarum τὴν εὐεσὴν, ut & Ecclesiarum ac Scholarum magmenta plurima referimus accepta.

Palman hisee omnibus, Elector Serenissime JOHANNES GEORGI, monumentis historiaram perpetuis seræ posteritati consecrande, non uno nomine intervertis. Ex omnibus Electoribus Saxon. post FRIDERICI BELLICOSI tempora cum hoc patriciatu Imperii Romano Germanici & Septemvirali dignitate (præterquam quòd FRIDERICUS SAPIENS hunc annum, quem jam superasti XXXIX. gubernationis sue attigerit, TIBI verò DEUS ardentibus votis invocatus addat longè plures) nemo fuit diutius. Quòd toties interregni tempore fasces Imperii Vicarios gesseris, & pluribus vicibus per aetatem gerere potuisses, quòd ex tot annorum intervallo SeptemViralis Collegii Senior extiteris, quòd publico totius Germania præconio DEXTERA Imperii cum abavo Tuo ALBERTO pientissimæ recordationis & Atlas rebus lapsuris succollans audiveris, quòd domum Electoralem tot fulcris firmis, quibus aternitati minatur, Principibus masculis

3

Sere-

Serenissimis ac Potentissimis JOHANNES
GEORGIO nominis, virtutum & dignitatum here-
de, AUGUSTO, Archi-Episcopatus Magdeburgen-
sis postulato Administratore, CHRISTIANO &
MAURITIO in decus ævi natis Principibus statumi-
naveris, quòd Regias & Principes familias tot affini-
tatibus invicem devinxeris, tanta certè sunt, ut esti-
mari pro dignitate satis non possint: Inprimis guber-
nationem Tuam talia exceperunt tempora, tot altera-
tionibus in orbe Christiano prægnantia, cujusmodi à tem-
poribus CAROLI M. vix ac ne vix quidem vidit Eu-
ropa. Hoc aperto benè merendi de Republica & Ec-
clesia campo, consiliis & armis inter Martis etiam
ἀλλοπροσάλλε vices talem TE gessisti, ut scopum
tandem ultimum ab initio motuum horum TIBI præ-
fixum, utriusquè nimirum tranquillitatem, feliciter
obtinueris. Aliter per DEI gratiam res TIBI ceci-
dit, quàm Protestantibus seculo superiore, quantum-
vis pugna umbratilis, aut nubecula citò transiens
Smalcaldicum istud bellum ad nostrum tricennale
collatum videri queat. Electoralis Tua sedes inter
tot fluctus bellorum reciprocos salva remansit & in-
tacta German. libertas & orthodoxa religio, Te su-
premo inter Germaniæ Principes Hyperassista, sarta-
tecta conservata: pax agonizanti Romano Imperio, TE
cœlitus delapso Mercurio, reddita.

Pro

Pro quibus beneficiis, cum dies Soteriorum à
Serenissima Tua Celsitudine 22. Julii non ita pri-
dem fuerit indictus, & Academia, preces suas alio-
rum precibus conjungere, partium suarum esse cen-
suit. Ut verborum aliquid in ista panegyri face-
rem, autoritate publicâ, cui refragari non licuit,
mibi tum temporis ab omnibus imperato fuit in-
junctum. Provincia tamen mibi demandata,
quoad ejus integrum, satacturus argumentum, in
quo plures jam fatigari video, quod etiam non pro-
cul fuit accersendum, bellum præteritum tricennale,
mibi selegi primis duntaxat lineamentis ductis descri-
bendum. In quo cum Serenitatis Tuæ partes
tàm togatæ, quàm sagatæ non in postremis ponendæ,
rationem illarum, prout religio suggestit, haben-
dam duxi præcipuam. Hunc factum informem
quidem, nec lambendo satis effectum cum suasu mul-
torum publici juris facere decreverim, ad pedes Sere-
nitatis Tuæ, quòd nõ tantum in ditionibus Ipsius lu-
cem adspicere, & in Academia Lipsiensi drachmulâ di-
vinitus concessâ lucrari mibi contigerit, sed & Paren-
tes ac Majores meos serie continuâ per 100. annos circi-
ter Serenissimæ Domui Electorali tàm consiliis
sacris, quàm professionibus Academicis & Ephoriis
Ecclesiasticis velificatos noverim, eundem humilimâ
devotione deponere volui, debui. Hoc

Pro

Hoc modò subjectissimis contendo precibus,
Serenitas Tua pagellas hasce obscuras oculo clemen-
tissimo adspicere, meq; in Academia Ipsius Lipsiensi
Professorem non malè merentem gratià & patrocinio
suo dignari clementissimè non desistat. Rex Regum,
& Dominus Dominantium canos Serenitatis Tuæ
bonitate suâ coronet, gubernationi ex alto benedi-
cat, fructibus pacis Eandem adimpleat, & cum tota
Serenissima domo Electorali in annos Nestoreos
florentem, salvam & incolumem conservet.

Ita fiat. AMEN.

Dabam Cal. Aug.

An. 1650. Lipsiæ.

Serenitat. Tuæ

Subjectissimus & humilimus
Servus

L. Hieronymus Kronmayer.



ORATIO PANEGYRICA

De
Bello Germanico
tricennali.

Non eventu, sed exitu res ma-
gnas ponderari, Rector Acad.
Magn. Viri Adm. Rev. Magn.
Ampliss. Conf. Exper. Spect.
Clar. Prudentiss. Eximii, Præ-
stantissimi, Human. &c. tuque circumfusa
studiosæ juventutis corona nobilissima,
florentissima &c. non eventu, sed exitu res
magnas ponderari, tritum est, & lætâ belli
hujus tricennalis catastrophe magis compro-
batum. Quod si locum in actionibus
humanis invenit ullum, in expeditioni-
bus certè bellicis haut postremum. Ut
enim dubiis Mars errat in armis: Ita parti-
culares bellorum eventus tam varii esse so-
lent, ut ex iisdem neque de scopo agentis, ne-
que

A

que

què de causæ qualitate iudicium tutò sit fe-
rendum. Quod si tamen actio tota felici
terminetur exitu & agentis scopo conveni-
enti, non est, cur temerè susceptam fuisse di-
camus. Levato sipario, quid velim, expo-
nam. Triginta plus minus anni præterlapsi
sunt, ex quo Germania patria nostra charis-
sima fatali & desperato prorsus bello fuit con-
cussa, cujus exitum votis quidem calidissimis
à Deo precati sunt multi, viderunt paucissimi.
Quoties ingeminatas novimus ex Psalmogra-
pho Regio voces desiderii plenas: Audiam
quid loqvatur, in me DOMINUS: quoniam lo-
quetur pacem in plebem suam, plerisque ta-
men inter galeas & lituos Martis extinctis
voti que sui repulsam passis. Quos cogita-
tionum Euripos & fluctus reciprocòs ex va-
riis eventuum bellicorum vicissitudinibus
natos? quas de gratia & ira divina, de futuro
Ecclesiæ & Reipubl. statu disputationes anci-
pites novimus ortas. Nobis felici clausulæ
belli hujus superstitibus, & jam fructus pacis
spe præcipientibus ex eodem Psalmographo
Regio

Regio ingeminare licet: Veruntamen propè
timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet
gloria in terra nostra. Misericordia & veri-
tas obviaverunt sibi: iustitia & pax osculatae
sunt. Veritas de terra orta est: & iustitia de
coelo prospexit. Etenim Dominus dabit be-
nignitatem: & terra nostra dabit fructum
suum. Quod si verò locus ullus Germaniæ
habet, cur de recuperata Pace Deo ter Opt.
Max. gratias agat, hæc nostra Lipsia est, tot
controversiarum negotium hoc spectan-
tium decisionibus, conventu principum Ev-
angelicorum, salutis nostræ fundamento, tri-
busque præliis omni exceptione majoribus
& in eodem propemodum loco commissis
nobilitata: addo & decem propemodum ob-
sidionibus intra XIX. annorum decursum
per orbis angulos decantata. Quare cum
Serenissimi & Potentiss. Sax. Elect. Domini
& Nutritii nostri Clementissimi mandato
post compositionem pacis German. univer-
salem & ultimam Soteria in Ipsius Serenita-
tis ditionibus pro tanto beneficio cælitus

collato sint celebranda, & Musis nostris cum
Gratiis & Irene potius, quàm Marte conve-
niat (quantumvis & intra Martis galeas mel-
lificia nobis hætenus fuerunt componenda)
jussu & autoritate superiorum ex hoc loco
verborum aliquid mihi faciendum. Cir-
cumspicienti verò diu argumentum, non a-
liud, quàm quod nihil minus cogitanti se
obtulisset, bellum hoc tricennale cum acti-
bus suis præcipuis occurrit. Si enim pro bo-
nis privativis & positivis, bello ablato & pace
restituta, Deo gratiæ sunt agenda, quænam
fuerint illa mala, quorum collatione futura
bona patefcent, paulò penitius nobis cogno-
scendum. Et cum Serenissimus noster, quem
semper attendit in hisce motibus bellicis sco-
pum ult. Ecclesiæ orthod. salutem et Reipub.
tranquillitatem feliciter attigerit, partes to-
gatas et sagatas Ipsius Serenitatis in hoc bel-
lo sine verborum phaleris impræsentiarum
delibabo.

Nevè minor quinto, nec sit productior actu.
hanc Tragico-Comœdiam secundum actus quin-
que:

que præcipuos, motus Bohemicos, bonorum Ec-
cles. repetitionem, conventum Principum Evan-
gelicorum Lipsiensem, armorum cum Suecicis con-
junctionem & pacis studium indefessum stylo &
filo historico, paulò tamen solutiore describam, id
simul daturus operam, ut Celsissimi patris patriæ
facta, quod gratum civem decet, ab iniquorum
censuris vindicem, & veritatem in suo vultu pro-
ponam. Quod dum facio &c.

Ἐκθεσις.

Exiguos nivis globulos ex Alpium cacumi-
nibus devolutos ita sensim accrescere, ut in-
tegro etiam vicis in convallibus positos in-
terdum opprimant, à Topographis & locorum isto-
rum inquilinis accepimus. Quod si ad bellum
hoc tricennale Germanicum quis accommodave-
rit, rerum similitudines non per transennam in-
spexisse mihi videbitur. Ex tenuissimis enim scin-
tillis in ejusmodi excrevit incendium, ut tota pro-
pemodum Germania illo ipso fuerit consumpta,
nec angulus, qui de abominanda desolatione re-
gni quondam florentissimi non testetur, oculo-
rum aciem circum ferentibus occurrat. Sub Hen-
rico Vto, Friderico II, Ludovico Bavaro bellis in-
testinis quidem concussa fuit etiam Germania, sed

A 3. tan-

m.
e.
el-
a)
co
ir-
a-
e
ti-
o-
ce
n-
ra
no-
em
co-
ub.
to-
del-
um
u-
uin-
que:

tantum abest, ut istę concusiones paria cum tricen-
nali hoc bello fecerint, ut comparationem omnem
præfens hoc respuere videatur. Tot urbibus e-
nim Vulcano mancipatis, agris devastatis, plus
quàm dimidia hominum parte ferro, flammis,
inediâ, morbis Epidemiis absumtis, nervo rerum
gerendarum sine spe recuperationis ablato, tan-
tum vulnus inflictum fuit Germaniæ, ex quo vix, ac
ne vix quidem ante fabulæ totius mundanæ cata-
strophen [ô vanus augur sim] reconvalescet.

I. Ut verò parva sunt rerum omnium principia:
Ita & belli hujus Germanici ex Bohemicis motibus
nati.

An, 1609. Magno sibi comparaverant Bohemi sub utra-
que, clavum regni moderante Rudolpho Romano-
rum Imperatore, literas majestaticas, quibus ipsis
cavebatur de libero religionis exercitio, de bap-
tismo recens natis infantibus administrando, de co-
pulan-
dis novis Conjugibus, de mortuorum sepul-
tura, de companarum sonitu, & aliis pluribus, in
quibus à Pontificiis antea non parùm sufflamina-
bantur. Copia insuper collapsam Academiam
instaurandi, oratoria nova construendi, Ministros
Lutheranos vocandi, Consistorium erigendi Bohe-
mis & concorporibus regni provinciis permitteba-
tur. Quin & eò res redibat, ut fidei consanguinei
extra Bohemiæ regnum constituti, quorum in nu-
mero

mero facile palmam reliquis intervertere poterat
Serenissimus Elector Sax. CHRISTIANUS II. piens-
sissimæ recordationis, collectâ certâ pecuniæ sum-
mâ Bohemos ad sublevandos in extruendis templis
novis sumtus juvarent. Halcyoniis in hoc rerum
statu fruebantur ad tempus, verum post obitum
Rudolphi sanctissimæ recordationis, classicum hîc
canentibus imprimis Jesuitis, nihil intermittebatur
eorum, quæ ad perforandas literas Majestaticas, &
opprimendos eos, qui sub utraqûe vocabantur,
ullo modo facere posse videbantur. Postquam e-
nim Ferdinandus Austriacus, Caroli Archi-Ducis
Filius, Ferdinandi I. Romanorum Imperatoris
Nepos, ipse brevi post Imperator sacratissimus
Rex Bohemorum in casum mortis, conceden-
te Matthiâ patruele, à Bohemis eligeretur, jam
ferociores facti Catholici, & brachio seculari magis
confisi, strenuam hîc operam navante Cardinale
Cleselio, quas diu presserant, artes in apricum pro-
ducunt. Insuper haberi potuissent varii Sarcasmi,
sales nigri, picturæ, quibus sub anserum è calicibus
potum ingurgitantium imaginibus Protestantes
ostentui habebant, nisi templa simul extero-
rum sumtibus erecta partim diruissent, par-
tim occlusissent, partim etiam in alios usus con-
vertissent, exercitio religionis publico remoras
undi-

An. 1612.

An. 1617.

undiquaque injecissent, & ad opprimendam doctrinam Bohemorum sub utraque reliqui nihil fecissent. Precibus quidem & intercessionibus suis in auribus partim Regiæ Dignitatis, partim Vicariorum, ut malis istis medicina fieret, oppressi Bohemi sine intermissione insonabant, sed laterem lavantes, cui medicas manus applicare volebant, malum indies exasperabant. Conclamatum itaque videntes de religionis libertate, rem aliã viã, quæ tamen ipsis pessimè cecidit, aggredi, & exempla in quosdam Vicariorum oleum camino instillantium statuere animum induxerunt. Quare in Comitibus regni Bohemici Pragæ habitis, cum de religionis negotio contentionis terra reciprocaretur, & inter alios adversantes V Vilhelmus Slavvata & Baro de Mardinitz, aliàs Smefantzki dictus, Antesignani facilè deprehenderentur, furiis acti quadrupedem arreptum utrumque per fenestras Cancellariæ præcipitant, Secretario M. Phil. Plattero in cumulum adjecto. Hic jacta jam erat alea, & casus quicumque tandem Protestantibus expectandus. E specula quasi futuram tempestatem Defensoribus, in quorum numero Comites & Barones regni præcipui cõtinebantur, prospicere fuit in proclivi: certos proin Directores hujus ardui negotii constituunt, Jesuitas è regno Bohemiæ proscribunt (ad quod exem-

An. 1618.

exemplum Hungaria, Silesia, Moravia brevi se con-
formavit) & ad propulsandam vim omnem sub
Comite Turrensi, nec non Ernesto Mansfeldico mi-
litem cogunt. Opponebant eundem postmo-
dum Boquoio & Tampiero diversis agminibus in
provincias unitas moventibus, easdem diripienti-
bus ac devastantibus. Et licet Martis ἀλλοπροσ-
ἀλλὰ vices interdum experti fuissent Bohemi, su-
periores etiam nonnunquam evasissent, loca quæ
dam munita intercepissent, Viennæ quoq; militem
admovissent, quod factū à Comite Turrensi, tragicā,
tamen catastrophe fabula terminabatur. Quare
in acie novacula constituti Regem alium & qui-
dem talem, unde auxilii spes ipsis affulgere vi-
debatur, Fridericum V. Electorem Palatinum de
plurium suffragiis eligunt, in regnum accersunt,
coronant, & homagio præstito, rei summæ præfi-
ciunt. Satis læta se dabant principia, sed, prout in
humanis sæpe negat vespera quod pollicebatur
aurora, Rege novo in monte albo propè Pragam
copiis Maximiliani Bavari pro Ferdinando militan-
tis cæso, totisque castris exuto, parvo momento
maxima rerum momenta vertuntur. Hæc itaq;
tristis belli Bohemici fuit clausula, ut regni Pro-
ceres Comites, Barones, Nobiles & aliàs in summo
dignitatum fastigio prius constituti capite luerent,

An. 1618.
& 19.

An. 1619.

An. 1620.

An. 1621.

B

&

& Evangelicæ doctrinæ, ut & libertati, solum vertere jussis Protestantibus, exterminium pararetur.

An. 1618. Sed quid in hisce motibus Bohemicis vicinus Saxo? Num theatri hujus ociosum egit spectatorem, aut Ucalegon parietem proximum ardere passus laborantibus rebus operam nullam tulit? Nequaquam: sed ut vicinum regnum cum provinciis contiguis, præsertim postquam etiam Imperii partes attingi viderentur hâc flammâ, tranquillitati suæ postliminiò restituerentur, nullum non lapidem movit. Vidisses hîc Serenissimum Electorem publico scripto interpositioni diem certum constituisse, ut in Egera, urbe deputata à Cæsarea Majestate personæ cum Electoribus & Principibus, nec non Legati Bohemiæ & Silesiæ convenirent, operamq; componendis hisce motibus paci que instaurandæ darent. Verùm, interveniente morte Cæsaris An. 1619. Matthiæ, cum & alius Imperatori datus fuisset Optio Ferdinandus Austriacus prius à Bohemis Rex electus, sed jam repudiatus, & Rex novus Bohemiæ Fridericus Palatinus ipsi esset surrogatus, aliâ res tentanda erat viâ, ne Germanorum simul Respublica, cujus interregni tempore jam vice secundâ fasces Vicarios gesserat, quid detrimenti caperet. An. 1620. Legiones itaque nonnullos tum equitum, tum:

rum peditum propriis sumtibus in gratiam Imperatoris Ferdinandi conscribit, iisdem in Lusatiam movet, Budisfinam expugnat, Lubaviam, Gubenam & alias Lusatiae inferioris urbes in suam potestatem adigit, exercitum ulterius in Silesiam traducit, VVratislaviam Imperatori Ferdinando reconciliat, & res validè turbatas in tranquillum locat. Quanquam autem pro impensis bellicis sex urbes Lusatiae superioris Budisfinam, Görlicium, Zittaviam, Camisium, Lubaviam & Lübenam primùm hypothecæ loco, postmodum hereditarias unâ cum Lusatia inferiori acciperet, merita tamen erant tanta, ut nulla iisdem gratia par esse potuerit. Hoc affirmari potest, Sereniss. Sax. Elect. de solio dejectum Regem in thronum regium iterum collocasse, subditos averfos in viam regiam adduxisse, Silesiis & Lusatis liberum religionis exercitium tunc impetrasse, Bohemiae regnum, ut & ipsum Imperium ceu titionem ambustum ex flammis eripuisse, pacemque provinciis istis concorporibus ex voto restituisse.

Quod verò postmodum res aliter ceciderit, & Catholici victoriis aliquot obtentis abusi, Germanicæ quoque libertati & exercitio religionis purioris jugulum petierint, faba in Serenissimum hunc Principem, cui pax & tranquillitas publica scopus

II.

unicus fuerat præfixus, eudi nequit. Quin potius
Hyperaspisten utriusq; cum vitæ & fortunarum præ-
sentissimo discrimine Serenissimum Nostrum egil-
se, filo prolixiore diducemus impresentiarum. Re-
stabant adhuc reliquæ belli Bohemici conficiende,
proscriptis nonnullis, quos inter Primipilus forsitan
Ernestus Mansfeldiæ Comes passim per Germaniæ
provincias copiis suis grassantibus, easdemq; ferro
ac flammis miscentibus ac deformantibus. Invol-
uebantur hisce turbis progressu temporis Germa-
niæ Principes plures, utpote Christianus Brunsvi-
censis, postulatus Episcopus Halberstadiensis, cui
Principes alii Germani militabant: quin & ipse Rex
Daniæ CHRISTIANUS IV. in arenam hanc tandem
pertrahebatur. Passibus aliàs ambiguis errans à Ca-
tholicorum partibus immota stabat fortuna, ut non
tantum Comitem Mansfeldium velitationibus
An. 1626. quibusdam non semel fractum Albertus V Vallen-
An. 1623 steinius propèmunitionem Dessaviensem, Christia-
An. 1626. num Brunsvicensem, Daniæq; Regem nō unâ vice
Comes Tillius ad internecionem usque cæderent.
Hic jam voti à tempore multo concepti se compo-
tes factos persuasi Catholici occasione fronte capil-
latam ambabus apprehendendam, nec ab incepto
desistendum rebantur, donec omnia Catholicis, ceu
loqui amabant, erepta cum fructibus perceptis &
per-

percipiendis Possessoribus suis restituerentur. Ara-
duum hoc erat negocium, tot Electoribus, Princi-
pibus, aliisque Statibus Imperii aut πανολεθρίαν,
aut animarum dispendium intentans, nec illis ad-
modum dissimile consiliis, de quibus Tacitus in-
quit, quod primâ specie læta, tractatu dura, eventu
tristia deprehendantur. Lætum scil. videbatur
Jesuitis & malè feriatis repurgatæ doctrinæ perle-
cutoribus quibusdam aliis, si jugum Pontificium
tot potentissimorum Principum collo superim-
poneretur, quibus isti pro lubitu postmodum in-
sultare, suamque religionem ad quæstum tantum
comparatam obtrudere possent. De mediis ita-
que tractatu duris, quibus ad hanc metam pertin-
gerent, ipsos maximè sollicitos esse oportuit, su-
perstitibus adhuc tot potentissimis Imperii Sta-
tibus non merè subditis, sed in partem potestatis
receptis, unde crescenti potentiæ fræna potuissent
injici. Oculifera insuper ipsis erant Reges Se-
ptentrionales (præsertim cùm è Septentrione ma-
lum Pontificiis non semel imminuerit) nec non
Urbes Vandalicæ, quibus rerum gerendarum
nervos inesse noverant, ut & Principes Germani
littorales, qui vel consanguinitate, vel affinita-
te, vel aliis necessitudinum vinculis vicinis istis
Regibus jungebantur. Quare novum belligerandi
B 3 genus

An. 1628.

genus Germanis hæcenus incognitum, Britannis autem quondam, ut Tacitus habet, satis notum, feruitutem scil. propriam emere pascere & alere, fuit excogitatum, ut hac ratione ad ultimum scopum pedetentim, paulatim, gradatim accessus fieri posset. Ita Duces Megapolitani fratres Adolphus Fredericus & Johannes Albertus, præterquam quòd actionum suarum apologiam in lucem emisissent, instinctu eorum, qui dependentiam à Cæsar. Majest. non semel negabant (longè mitior enim Cæsareæ Majestatis erat animus) ditionibus hæreditariis, V Vallensteinio surrogato, exuebantur.

An. 1628.

Pomeraniæ verò Dux Bogislaus familiæ suæ ultimus, Cæsari fidissimus, à præfectis militiæ, sub schemate necessariæ defensionis, per triennium (& nisi Θεός ἀπο' μηχανῆς intervenisset, diutiùs) ita macerabatur, ut pro vilissimo mancipio habitus vix, unde vitam morte acerbiolem tolerare posset, inveniret. Urbes, castella, portus, armamentaria, reditus, subditos isti sibimet transcripserant: Princeps hæreditarius in suis ditionibus velut exul oberrans ad nutum & niētum eorum, quos vultu averfatus fuisset antea, se fingere cogebatur. Ad aliquot auri milliones sumtūs hîc verè sumtūs, quos in diversis Pomeraniæ locis ad alendos Carnifices suos primo tantùm inhabitationis anno fecerant, re tandem ad rastrum, quin & restim redeunte, incolis excreverant.

ran. Stralesundum, ex Hanfeaticis & Vandalicis An. 1628.
Urbibus haut postrema, cum non statim hospitibus
istis domicilium præbere, inque verba V Vallenstei-
nii jurare vellet, contra ipsum Cæsareæ Majestatis
interdictum sub induciis ferro & flammis oppugna-
tur, totiesque redintegratâ obsidione tantum non
expugnatur. Hoc nimir. agebant, qui Cæsareæ
Majestatis titulum suis actionibus præfigebant, ut,
hâc urbe in suam potestatem redactâ, portum ha-
berent commodum, & tutum receptum, ex quo
mare Balthicum infestare, viresque Regum Septen-
trionalium sensim incidere possent. Cum verò in
hisce littoribus littus arassent, ne tamen ingentibus
suis auis exciderent, ex portu V Vismariensi, junctis
sibi Dantiscanorum & Regis Poloniæ navibus,
mare Balthicum ingredi, Regum Septentr. telo-
nia suis excursionibus infestare, cursum merci-
moniorum intercidere, dictique maris dominium
sibi vindicare non dubitarunt. Nec cucurbitas
interea pingebant Jesuitæ, sed abusi clementiâ
Cæsareæ Majestatis edictum de restituendis bonis An. 1629.
Ecclesiasticis, à tempore transactionis Passaviensis
in manus Protestantium devolutis, unâ cum fru-
ctibus perceptis & percipiendis impetrabant. Scri-
ptis insuper in salivam publicam emissis Protestan-
tes non amplius pacis religiosæ capaces esse, quòd
Pro-

Professores August. Confess. sint nullus & nemo,
variis hinc inde conquisitis incrustamentis probare
conabantur. Quid jam ageret Sereniss. Saxo, post-
quam in medium hoc Eridos pomum fuisset proje-
ctum, & fax ab inquietis accensa, quâ conflagratura
videbatur tota Germania. Enixæ voluntati Cæsa-
ræ Majestati. non parere grave, sed religionem or-
thodoxam Antagonistis prodere, jugo quæ succol-
lare plus quàm servili longè videbatur gravius.
Quemadmodum autem preces & lachrymæ semper
fuerunt arma Ecclesiæ: Ita Serenissimus Elector
precibus indefessis, ut abrogaretur hoc edictum,
per literas & crebras legationes non sine sumptibus
ingentibus apud Cæsar. Majestatem institit, nec pre-
cibus suis, si fuisset absque sulurronibus istis, exci-
disset? Urfit nimirum ipsius Serenitas merita in
Cæsar. Majestatem numero plura, pondere gravis-
sima, quòd vitæ & fortunarum, quin & apud non-
nullos existimationis & famæ discrimine posthabi-
to, Cæsaream Majestatem in thronum suum re-
gium restituisse, quod aliàs difficultatibus suis
non caruisset: urfit pro tanto beneficio promissam
gratitudinem hâc ratione prorsus intermorituram:
urfit fidelitatem suam, quòd à fœderibus adver-
sus Cæsar. Majestatem in eundis periculosisimis
non neminem retraxisset: urfit adamantina ista &

æter.

æterna vincula, legis imperii fundamentales, qui-
bus caput cum membris & membra inter se devin-
cta: ur sit periculorum magnitudinem ex edicti huius
-jus executione resultaturam: ur sit præscriptionem
& à tempore multo tranquillam bonorum istorum
-possessionem: ur sit rationum allatarum iusto levius
-pondus, quòd super dubio verborum intellectu
-tantum negocium extruatur, & quæ precum ha-
-rum illustrissimarum fundamenta fuere plura. Et,
-si dicendum quod res est, ipsi Pontificii à tempore
-transactionis Passaviensis & infecutæ pacis religio-
-sæ, postquam in ipsorum manus reciderunt ex bonis
-Ecclesiasticis, quæ prius fuerunt Lutheranorum,
-hoc canone: Cujus regio, illius religio, veluti cly-
-peo se muniverunt. Cur non idem licuerit August.
-Confess. sociis in suis territoriis, si bona Ecclesiasti-
-ca mediata, possessoribus suis morte successivâ ex-
-tinctis destituantur, eò, quòd pari passu cum Ca-
-tholicis August. Confess. socii quantum ad hanc
-transactionem ambulent? Majorem, quam tan-
-quam caput Gorgonis Nostratibus objecerunt, non
-negabunt Pontificii. Minorem de Præsulatibus
-mediatis concesserunt ipsi. Nec satis apparet, quo-
-modo in Præsulatibus harum ditionum cuiquam
-Catholicorum tunc facta fuerit injuria, in quibus
-post hominum ætatem possessorum veterum, qui
C de

de injuria illata conqueri possit, nullus & nemo in
rerum natura extiterit. Quid? quòd dubius ver-
borum transactionis istius sensus, *ἢ τὰ ἐν κύκλῳ*
probè ponderentur, pro nobis potius, quàm Ponti-
ficiis faciat. Nec dicis gratia videbantur adjecta
verba edicti ultima, solis veræ August. Confess. so-
ciis ex altera parte pacem religionis esse concessam,
clavem verborum scriptis Jesuitarum & Ictorum
quorundam Catholicorum nobis suppeditantibus,
non amplius scilicet in rerum natura Confessionis isti-
us proflores inveniri. Nullis hîc laboribus, nul-
lis hîc sumtibus Serenissimus Elector noster, ut
hanc adsperam ab Ecclesiis suis maculam abster-
geret, & imminens exinde periculum averteret, pe-
percit. Convocatis enim Theologis suis præcipuis
An. 1622. tam Academiarum Professoribus, quàm Præsula-
tuum Ephoris pupillam Ecclesiarum Orthodoxa-
rum ad archetypum ex archivo Moguntinensi peti-
tum collatam cum adjunctis objectiuncularum
quarundam refutationibus typis publicis describi,
& in mensa Solis, ut judicet, qui judicare possit, ex-
poni curavit. Postquam autem variis chartis den-
tatis hoc scriptum exciperetur, & à trabensibus fe-
stucæ in hoc oculo anquirerentur, ne *πρὸ νίκης ἐπι-
νίκιον* canerent Pontificii, apologiam quoque pupil-
An. 1630. læ Serenitas Ipsius per Theologos suos prædictos
ac or-

adornari, & in publico statui allaboravit. Præterea
cùm paulò ante promulgatum edictum inter Aug.
Confels. socios Giessenses & Tübingenses Theolo-
gos sententiarum divortia circa quæstiones aliquas
statum exinanitionis CHRISTI concernentes emer-
sissent, Rathmannus etiam Dantiscaæ Ecclesiæ
Minister Fanaticorum quorundam opinionibus
circa verbi prædicati efficaciam frigidam suffunde-
ret, ne haberent Pontificii, cur super hisce scribiscu-
lis, pro more suo tripudiarent, exemplo Avi sui Au-
gusti feliciss. record. utramque controversiam per
Theologos prædictos hîc Lipsiæ decidi clementis-
simè mandavit. Tantum etiam aberat, ut fidei
confortes à Catholicis oppressos deseruerit, ut Ipso-
rum patrocinium, Ducis in primis Pomeraniæ & ci-
vitatatis Stralesundensis, in aula Cæsarea fideliter su-
sciperit.

An. 1624.

An. 1628.

Erigebantur in spem bonam omnes, tanti Prin-
cipis, Collegii Septemviralis Senioris, de Imperio
& Imperatore meritissimi preces & intercessionem
momenti quam plurimum obtenturas; verum, gra-
vaminibus indies excreſcentibus, spes omnis tan-
dem decollabat. Edictum jam executioni man-
dabatur, in circulo præsertim Suevico, & speciatim
Ducatu VVürtembergico, Commissariis non con-
tentis iis, quæ præscribebantur in edicto, sed fines

An. 1629.

An. 1630.

C 2

etiam

etiam & cancellos præfixos migrantibus: Augu-
stæ Vindelicorum, ordini Senatorio prius expun-
ctis orthodoxis, non exercitio tantum purioris re-
ligionis publico, sed & domestico contra pacifica-
tionem religiosam, fundamentalem Imperii legem
(quod apud Cæsaream Majest. Serenissimus Ele-
ctor valdè urfit) civibus imperialis urbis interdice-
batur. Ne quid verò adversus vim tantam moli-
rentur cives, patibulis in foro erectis (quod in Im-
perialibus urbibus Imperii Statibus insolens) de-
terrebantur. Jurisdictio etiam Episcoporum per
Transactionem Passav suspensa, vel, ut clariùs di-
cam non meis, sed Serenissimi Saxonis ad Cæsar.
Majestat. verbis, sublata, iterum statuminebatur.
Quòd enim suspensa dicitur, de spe reduntionis in
negocio religionis, si forsan futura intelligendum:
quòd si tamen non evenerit, nihilominus hæc pacifi-
catis ἀνίκητος ἢ ἀκίνητος persistere debebat. Ean-
dem ob causam, ut Archiepiscopatum Magdebur-
gensium suum facerent Catholici, quâcunq̄e tan-
dem ratione id fieret, interim susq̄ue deq̄, habentes
πύξ ἢ λάξ allaborabant. Reliquias itaq̄ue Nor-
berti ArchiPræsulis quondam & Patroni hujus Epi-
scopatus primùm elevabant, & Pragam transfere-
bant, Patono ablato, Ecclesiam hanc recidivam fa-
ciliùs passuram persuasi. Exuviis verò vulpinis pa-
rùm

An. 1626.

rūm proficientes leoninas quærebant, nec à propo-
sito desistebant, donec exemplo ad omnem poste-
ritatem memorabili sub ipsis tractatibus Urbem
hanc Germaniæ antiquissimam, Archiepiscopalem,
Hanseaticam ferro & flammis excisam in cineres re- An. 1631.
digerent. Quid verò interim Germaniæ Principes
Protestantes, Imperii Status? Eò res redierat, ut
non tantum medullitus exhausti redigerentur ad
incitas, sed & caculis militaribus ii, quos Carolus
V. cum Regibus conferre solebat, fustibus delum-
bandi objicerentur. Et licet in Comitibus Ratis- An. 1630.
bonensibus Electorum Protestantium Legati pro-
lixam querelarum telam super hac oppressione li-
bertatis texerent, navis tamen scopulis supplicare
videbatur. Querelis itaque continuis suorum
motus Elector Saxon. Serenissimus conventum
Principum Evangelicorum (quo ipso fundamen-
tum salutis posuit) in hac Urbe, an gravaminibus
remedium fieri & pax desideratissima facilius redu-
ci queat, indicit. Comparebant itaque *αυτοπρεσ-* An. 1631.
βυτες Electores duo Serenissimi Saxo Johannes
Georgius, Marchio Georgius Wilhelmus: ex Pala-
tina domo & linea quidem Neuburgo-Sultzbacensi
Augustus, ex Saxonica Johannes Casimirus lineæ
Coburgensis, inter Germaniæ Principes tunc natu-
maximè, Johannes Philippus, Johannes Wilhelmus,
Fride-

Fridericus & Wilhelmus fratres, lineæ Altenburgen-
sis, & Wilhelmus & Bernhardus fratres lineæ Vinari-
ensis, ex domo Brandenburgica Christianus Mar-
chio Culmbacensis, Landgravius Hassiæ lineæ Cas-
sellanæ & Wilhelmus, Princeps Anhaltinus Augu-
stus, Marchio Badensis Fridericus, Comites Sol-
mensis Fridericus & Philippus Richardus, Comi-
tes Mansfeldici Ernestus, Ludovicus & Joh-Geor-
gius, quorum plerorumque memoria jam in perpe-
tua benedictione. Hisce per Legatos accedebant
Archiepiscopus Bremensis, Abbatissa Quedlinbur-
gensis, Dux Saxon. lineæ Isennacensis, Duces Brun-
svicenses & Lunenburgenses, Megapolitani, & Vür-
tembergici, Marchio Durlacensis, Onoldinus, Co-
mes ab Hohenlœe, Comites Schwartzburgenses,
Stolbergenses, de Lippa, de Barby, de & Valdeck,
Domini Rutheni, Schönburgiaci, circulus Suevi-
cus, Franconicus, Urbs Norinberga, Francofurtum,
Argentoratum, Augusta Vindelicorum, Ulma, Lu-
becca, Brunopolis, Brema, Hildesum, Northusum
& Mülhusum, quos rebus lapsis succursuros unâ
mecum plures tunc oculis usurparunt. Præmis-
sis in templo Thomano precibus, pregnantissimum
hoc negocium altius in Curia expendebatur, &
transmissis Cæs. Majestati rursus gravaminibus,
ut ipsis medicina fieret, humilimæ supplicationes

in-

instituebantur. In omnem tamen eventum, cum
in imperio *κατὰ χρισμὸν* tunc volverentur omnia,
& Duces belli Catholicis militantes jam Cæsareæ
Majestatis nomen actionibus suis prætexerent, jam
verò auctoritatem defugerent, necessaria subdito-
rum defensio legibus divinis, naturalibus & omni-
um gentium concessa concludebatur, totumque
negocium concione gravissima de cogitationibus
Principum ratis & immotis ex Esai. Proph. termina-
batur. Vix trimestre spacium præterlapsum erat,
& confluentibus certatim, qui pedites & equites
mereri volebant, miles instructissimus in hisce di-
tionibus cogebatur. Ferrum etiam, dum calebat,
cudendum rati Status Evangelici reliqui militem
suis in ditionibus, Illustrissimus præsertim Hassiæ
Landgravius Wilhelmus conscribebant. Dehor-
tatorius insuper Cæs. Majestatis justam apologiam
Serenissimus noster opponebat, conclusum scil.
hoc ad Cæs. Majestatis offensionem nequaquam,
sed necessariam subditorum in hisce motibus & tur-
bis defensionem spectare. Querelas potius de gra-
vaminibus & oppressione Germanicæ libertatis in-
geminabat, & ut tandem precibus toties iteratis
locus relinqueretur, indefinenter orabat.

Aliquid in recessu habere confœderationem hanc
Lipsiensem illis, qui naris erant emunctioris inter
Catho-

IV.



An. 1631.

Catholicos, facile subolebat, ne tamen spei suæ nau-
fragium facerent, executionem autem fœderis hu-
jus impedirent, postquam cum Galliæ Rege in Ita-
lia transactum, per Egonem Fürstenbergium ex Ita-
lia reducem circuli Suevici & Franconici confœde-
ratos, ut militem exautorent, armatâ manu cogunt.
Hassia Landgravium Tillius, ut fœderi Lipsiensi re-
nunciasset, nisi Suecorum Regis progressibus belli-
cis retractus vestigia relegisset, dubio procul cœe-
gisset. Conjungebantur ita Ligistici exercitus in
Thuringia sub Campiductoribus Johanne Tillio,
& Egone Fürstenbergio ditiones Electorales ingres-
suri & ad mensas, quas vocabant, secundas accessu-
ri. Ne tamen ab executione processum ordirentur,
Tillius Martisburgum Legatos duos Johannem
Reinhardum à Metternich, Capituli Moguntinen-
sis Præpositum & Baronem de Schönburg Tribu-
num militarem brevi post in pugna Lipsiensi cæ-
lum ad Saxonem Serenissimum amandat restitutio-
nem bonorum Ecclesiasticorum & dimissionem
militis postulantes, aut ad paratam executionem
provocantes. Quid hîc ageret Serenissimus pa-
triæ pater fumos à Pontificiis sibi venditos vicens?
Inter sacrum & Saxum hærens aut DEO, aut Cæsa-
ri, cujus autoritas tunc prætexebatur, parendum
videbat. DEO tamen quod antea per literas ad Cæs.
Ma-

An. 1631.

.VI.



Majest. datas non dissimulaverat, in rebus salutem
animarum concernentibus obtemperare maluit,
quàm hominibus. Quare supplicando apud Cæ-
sar. Majestat. non destitit, ut habità periculorum
ratione, amicabili potius compositioni, cui Fran-
cofurti ad Moenum dies dictus, quàm ejusmodi An. 1631.
extremis locum relinquat, se aliàs vel *πρὸς τὰ ἔσχα-*
τα Cæsar. Majestati devinctum permanfurum. In
eo verò Tillius erat, ut Sala ponte strato, Torga-
viam impressionem faceret, Albisque Dominium
interciperet, de quo certior factus Elector Sereniss.
prævenire, quàm præveneri maluit, suasque copias
Campi-Ductore Johanne Georgio ab Arnimb in-
tra biduum post habitum colloquium eò traduxit.
Cum duplicabantur lateres venerat Moyses: cum
animam agebat libertas Germanica & orthodoxa
religio Suecorum, Gothorum & Vandalorum Rex
Gustavus Adolphus Germanorum rebus & Ipse
succursurus & quidem eo die, quo secularis memo-
ria exhibitæ August. Confess. celebrari ceperat, pri- An. 1630.
mum in Germania pedem fixerat. Causas, qui-
bus pertractus & ipse personam suam in hoc thea-
tro agat, edito manifesto Germanis probabat. Sub
aquilæ nimir. bicipitis signo sibi nihil tale quip-
piam cogitanti exercitûs à Catholicis oppositos, li-
teras ad Transylvaniæ Principem missas interce-
ptas,

D

ptas,



An. 1630.

An. 1631.

pras, Legatos aditu Germaniæ sub capitis pœna pro-
hibitos, titulum regium sibi denegatum, mare Bal-
thicum hostilibus excursionibus infestatum, com-
merciorum cursum intercisum, urbes confœdera-
tas oppugnatas, fidei, consanguinitatis & affinita-
tis vinculo junctos Principes Germanos oppressos,
libertatem Germanicam, orthodoxam religionem,
quin & propriam suam salutem, si votis Antago-
nistarum responsurus esset eventus, in extremum
discrimen adducenda, querebatur. Expeditio-
nibus ipsius bellicis favebat fortuna, ut hostes ex
Pomerania, Ducatu Megapolitano, Marchia Bran-
deburgica, parte Saxoniae inferioris brevi exclude-
ret, portus, castella, munitiones, urbes Dominis
suis legitimis restitueret, & tantum non ubilibet
hostium fugientium obversa terga videret. Satis
jam in ditionibus suis ab adversa parte provocatus,
& subditorum suorum direptorum, sedibus suis
ejectorum, tormentis exquisitissimis subjectorum
lachrymis & ejulatibus motus pientissimus Patriæ
Pater cum Rege Suecorum sociis armis vim vi re-
pellere constituerat. Quâ conjunctione armo-
rum gladium adversus Imperatorem (si tamen Im-
peratorem) non sumsit, sed pro defensione subdi-
torum suorum divinitus acceptum gessit. Nec
enim bellum hoc ex Ipsius parte fuit offensivum,
(cùm

(cùm Serenissimus Elector ditionum suarum fines
ante pugnam Lips. non fuerit egressus) sed defen-
sivum, quod non à subdito merè dicto, sed in par-
tem potestatis & quidem maximam recepto, Colle-
gii Septemviralis Seniore, Imperii bis Vicario,
tentatis prius omnibus pro salute publica fuit
susceptum, imò extortum. Et licet religio
ipsa in abstracto non defendatur, in concreto ta-
men vel, ut clariùs dicam, subditi religionem pro-
fitentes in Republ. præsertim libera, ex Aristocratia
& Monarchia temperata, suis à Magistratibus de-
fenduntur. Quid? quòd in bellis aliò spectent,
aliò tendant remiges, & sub religionis προφάση
ut plur. connexè periclitetur regio. Quare cùm
Lipsia, pendente adhuc Francofurti amicabili tra-
ctatione, interciperetur, hi duo Christianissimi
Principes, exigente ita duro necessitatis telo, ad ex-
cludendum ex visceribus regionis hujus hostem,
sociis armis Lipsiam versus movent. De pugna
Pharsalica inter Julium Cæsar. & Pompejum com-
missa Florus ait, fata humani generis eidem fuisse
commissa. Si de prima pugna Lipsiensi, quòd fa-
ta Germanicæ libertatis, ut & doctrinæ purioris ei-
dem fuerint commissa, pronunciavero, extra ve-
ritatis lineam non procul aberravero. Agro Li-
psiensi approximantes instructissimam hostium

An. 1631.
7. Sept.

aciem, dextram alam Fürstenbergio, sinistram Pappenheimio, corpus ipsum Tillio primo sphaera mobili gubernante, tormenta disposita, venti que ab occidente flantis usuram interceptam videbant hi duo Christianissimi Principes, quibus nihil supererat amplius, quam ut consilium ex arena caperetur. Verum, iustissimo Dei iudicio, licet fortunam suam non amplius globulo, sed quadrato niti Catholici dixissent, quin & maiores, quam quibus fortuna nocere posset, se jactitassent, trium tamen horarum spacio *ὡπέρετρα ἄετρα*volvuntur, & summa imis permutantur. Rerum suarum & hic Principes isti Christ. sategerunt ita, ut primum ictum non intulerint, sed exceperint, Pappenheimio dextram aciei regiae alam, Tillio vero & Fürstenbergio Electoris Saxonis exercitum hostilibus armis incurtante. Pappenheimius quidem ab equitibus Regiis & intermistis Sclopetariis excipiebatur ita, ut à reliquo corpore avulsus herbam brevi porrigeret, fugâque salutem quæreret. Quanquam autem exercitus Electoris Saxonis & ventum haberet adversum, & tot legionibus simul assultantibus viribus esset impar, impetum tamen fortiter sustinuit, nec statione prorsus cessit, sed, praelio redintegrato, tam diu pugnavit, donec hostium fugientium tergoribus incubaret, pulcherrimam victoriam ab hostibus re-
por-

portans. Compendium, quod ex impressione hac
in exercitum Saxonicum sibi natum credebant
hostes, dispendio maximo, cum & venti jacturam
facerent, & tormenta simul amitterent univ-
ersa, permutabatur. Hannibali, quod sciverit vincere,
sed victoriâ nesciverit uti, Scriptores Romani ob-
ciunt: aliter hi duo Christ. Principes vincere scive-
rant, ut simul victoriæ divinitus partæ usumfru-
ctum nobilissimum decerpere nossent. Jam val-
væ bipatentes hostiles agros invadendi & de hosti-
co vivendi Evangelicis aperiebantur: Bohemia,
Silesia, Lusatia, Franconia, Suevia, Bavaria, Pa-
latinatus uterque, Alsatia & loca contermina sup-
plices Victoribus tendebant manus: Transalpini,
belli hujus Germanici faces & tubæ jam convala-
bant & ad Indos cogitabant: paucis: Victoria Vi-
ctoriam comitabatur.

Verum enim verò quia bellum geritur, ut pax
acquiratur, rebus humanis in pugna cruentissima
propè Lützenam exempto Suecorum Rege, & ita
personali fœdere inter duos hosce Principes soluto,
Serenissimus Saxon. Elector, non inscio, sed sua-
dente quoque Cancellario Suecico Axelio Oxen-
stirn, postquam sola ferè ceu propugnaculum reli-
gionis orthod. & libert. Germ. totam molem Ser-
ipius sustinisset, ad pacis artes conversus cum Cæ-
sarea

An. 1631.

An. 1632.

An. 1633.

V.

An. 1632.

6. Nov.

An. 1632.

33.

34.

An. 1635.

Caesarea Majestate infructuosa lauri folia bipartiri, certisque conditionibus Germaniae tranquillitatem postliminiò restituere annitebatur. Præterquam enim quòd à dicto Cancellario cognoverat, nisi pax temporis componeretur, ejusmodi theatrum à Rege Galliae propediem adornandum, quò votis Germanorum obstaculum non leve interjici queat, moverat Serenissimum Electorem miserrimus communis patriæ Status, quæ sic emaciata bello tam diu protracto, ut sine magno conatu externis hostibus cedere posset in prædam: Moverat Ipsum inclinata fœderatorum prius fortuna, præsertim

An. 1634.

post infeliciter commissam pugnam Nordlingensem, cum vix certum pedem adversus prementes hostiles copias amplius figere possent: Moverat Ipsum adversæ partis vires & tergum subsidiarium propemodum invictum. Quare pro compensatione bellorum & periculorum sociis 25. auri tonnis oblatis, cum Cæsarea Majestate tanquam cum capite membrum contiguum proximum conciliatur ad nullum alium collineans scopum, quàm ut lacera Ecclesiæ & Reipubl. navicula decumanis bellorum fluctibus jam diu satis concussa & naufragio proxima in portum exoptatum iterum reducatur. Salus quippe Reipubl. suprema lex esto. Quòd verò in hac transactione satisfieri non potuerit omni.

in omnibus, inter pacem ut est in votis, & ut est in fati-
bus, ut optanda est & speranda limitibus accuratis dis-
terminandum. Nullis certè sumptibus parsum,
nullis vigiliis (prout tanti Principis caput curarum
nidus his bellicis motibus factum) ut ab altera par-
te plura potuissent obtineri, sed, nisi partis servan-
dæ gratia totum perdendum, in placito Cæsareæ
Majestatis fuit acquiescendum. Nec spes omnis
postliminii prorsus defloruerat, cùm & corda Ma-
gnatum ceu rivos hectere, aliasque rerum geren-
darum occasiones DEUS misericordissimus, votis
ardentibus invocatus, subministrare potuisset. Lo-
co vinculorum realium castellorum, urbium & si-
milium vox Cælaris, cujus singula verba singula ju-
ramenta præsumuntur, imò si fides exularet in toto
terrarum orbe, secundùm Caroli V. effatum, apud
Cæsarem inveniri deberet, Serenissimo nostro suf-
ficiebant. At secundùm Ciceronis istud, consilia
ponderari eventu, forsan insusurrabis? Maximæ
huic aliam maximam inductione Topicâ similiter
collectam opponimus:

— — — *Careat successibus, opto,
Quisquis ab eventu facta notanda velit.*

Non heri, aut nudius tertius hoc factum, ut in
causa non mala (sunt enim consilia DEI præsertim
in

An. 1636.

An. 1640.

An. 1645.

46.

47.

48.

49.

50.

in ejusmodi externis imperis scrutabilia) quis succubuerit. Israëlita certe non unâ vice à Benjamitis ad interneccionem cædebantur, qui tamen causæ bonitate non erant inferiores. Sufficit, ut exitus ipse votis tandem respondeat. Non eventu enim sed exitu res magnas ponderari diximus. Ut ut etiam pax Germanorum res desperata tandem omnibus videretur, non destitit tamen Elector noster Sereniss. sumptibus & laboribus immensis, consiliis, legationibus tam ad Comitata, quàm ad tractatus pacis Osnabrügenses, & Norimbergenses precibus publicis, armistitio & quibus non mediis? donec pacificationis negocium ad eum gradum, in quo per Dei gratiam videmus, evacuatis jam à presidio Suecico Serenitatis Ipsius ditionibus, fuerit perductum.

Belli hujus tricennalis actus 5. præcipuos, motus scil. Bohemicos, bonorum Ecclesiasticorum repetitionem, conventum Principum Evangelicorum, pugnam primam Lips. & pacis studia indefessa & ita partes tam togatas, quàm sagatas Sereniss. nostri *ὡς ἐν συνόψει*, nec enim aliter impresentiarum licuit, vidimus. Quare cum Serenissimum nostrum ad restituendam Imperii tranquillitatem Bohemos cum vicinis Lusatis & Sile-

Silesiis Imperatoriæ Majestati Bohemiæ Regi,
accepto Illius vice homagio, iterum subjecisse
ingruente persecutionum tempestate pro con-
sanguineis fidei apud Cæsar. Majestat. fideliter
intercessisse & abolitionem edicti Cæsarei uris
se, conventum Principum in urbe ditionis suæ
Lipsia, ut gravaminibus Statuum oppressorum
medicina fieret, indixisse; cum Rege Svecorum
junctis armis Victorias insignes propè Lipsiam,
Lignitzium & alibi reportasse; &, ut pax tandem
Imperio agonizanti restitueretur, modis omnib9
allaborasse, non ficulneis evictum argumentis
& aliàs ex historia rerum gestarum satis notum,
ecquis tam iniquus rerum Censor, qui non præ-
clarè meritum de Republ. & Ecclesia hoc bello
Germanico, vel quatuor, si essent, manibus lar-
giatur? Quin potius gratias Ipsius Serenita-
ti devotas & humilimas agamus, quòd nobis &
aliis tum Ecclesiæ, tum Reipubl. concivibus in-
serviendo seipsam consumere: nobis in utram-
vis aurem & oculum dormientibus pro salute
nostra, pro aris & focis, pro lege & grege vigila-
re: nobis securis, alis protectionis suæ (ceu dul-
ce & decorum pro patria mori gallinæ pullis in-
cubantis symbolo quodam bellico satis decla-

E

rave-

raverat) vitam famam & fortunas nostras tueri
voluerit.

Tibi verò DEUS Opt. Max. DEUS omnis pacis,
fons omnis boni gratias, quibus capiendis men-
tis sunt angustia, agimus, aucturi, quoad vixe-
rimus, immortales, quòd preces nostras per tot
annorum intercapedines fusas in beneplacito
tuo exaudire, pacemque desideratissimam Eccle-
siae ac Reipubl. restituere volueris. Tuum,
tuum est hoc beneficium, quòd ex hac abys-
so fuerimus eluctati, quòd naufragi semiani-
mes in portum exoptatum tandem fuerimus re-
ducti. Tu curva recta fecisti: tu confusa or-
dinasti: percussos sanasti: ad portas mortis de-
jectos in vitam revocasti. Ah sinas nobis hoc
bonum esse perpetuum, & ut tanti beneficii ca-
paces simus, Spiritu tuo bono in semita recta nos
ducas, vasa misericordiae efficias, & omne, quod
tibi displicet in nobis, auferas. Angues adhuc
luctantes & nondum complicatos in orbe Chri-
stiano Mercurii caduceo, sanis consiliis & fi-
dis internunciis, uni, viridis rutae tegmine tres
hierarchias chorum, forum & thorum obum-
bra, non Martis galeas, sed Gratiarum alveolos
mellificis studiorum nostrorum destina, & ut
quis

quisque rerum suarum ad nominis tui gloriam
& boni publici emolumentum fatagere queat,
propitius concede. Da pacem, DOMINE, in
diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet
pro nobis, nisi tu, DEUS noster.

*Da vires magnas, da canescentibus annis
Ensisero nostro tempora lata Duci.
Ut placidam vitam vera in pietate geramus,
Sic nos, sic laudes postera turba canet,
AMEN.*



E 3

RECT.

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS

Söteria de recuperata pace celebraturos Concives Academicos & Oppidanæ Reipubl. Proceres ad actum panegyricum invitat.

Sacrifica DEO laudes, & vota tua redde Altissimo: beneficiis à divina Majestate affectos, votorumq; damnates Psalmographus (Psal 50.) acclamat Regius. Quod in Germania, ex quo translatum fuit in occidentem Imperium; Misnia, ex quo Marchiones ex familia Saxonica Wittekindea numerat; Lipsia, ex quo fundamenta urbis jacta, causas habuit sat prægnantes DEO sacrificandi laudes, hoc jam tempore, quo post tricennale bellum internecinum planeq; desperatum halcyoniis exoptatissimis cælitus donata, & in faucibus mortis pridem constituta vitæ fuerunt reddita, causas habere videntur prægnantissimas. Germaniam vide, varias illa, quidem metamorphoses & alterationes ex bellis ut plurimum natas, postquam Carolus Magn. Pipini Filius, Martelli nepos primus Augustus in occidente fuit salutatus, subiit, nescio tamen an his majores, quas proximo bello tricennali. Collidebantur bellis diversis Caroli hujus posteri virtute ac felicitate Patre longè inferiores, adversus Parentem Ludovicum pium filii, fratres adversus fratres, agnati adversus agnatos insurgentes florem nobilitatis Germanicæ & Gallicæ perdebant, eoque tandem, ut, maturius extinctâ stirpe Carolinâ, Corona Imperialis & Gallica devolveretur ad alias familias, rem adducebant. Cælum terræ miscebatur sub Henrico IV. Pontifice Gregorio VII. aliàs Hildebrando dicto & successore non uno jam in temporalibus etiam primatum affectante, Imperatorem de Solio deturbante, Anti-Cæsares plures, qualis inprimis Rudolphus Suevus, cui coronam mittebat cum hac inscriptione:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho,
& cum res huic intra Lipsiam & Martisburgum cæso pessimè cecidisset, Ecbertum Saxonem, tandemque, Patre Augustalibus exuto, Heinricum

ricum filium supponente. In propria viscera saeviebat Germania,
cum Friderico II. Heinrici VI. filio, Friderici Barbarossæ Nepoti,
potentissimo post Carolum Magn. Imperatori Otto Brunopolita-
nus, ex Guelphorum familia contra promissa opponeretur, & ipse
Fridericus tandem bruto Pontificum fulmine de solio deiceretur.
Nec alterationes exiguas sub interregni magni temporibus ad 18.
annorum decursum extensis passa fuit Germania, tot familiis illu-
strissimis, quas inter etiam Austriaca vetus, Suevica, Hassiaca &c.
deletis & intercisit. Quomodo ferro & flammis deformata fuerit
Germania, imprimis hæc nostra Misnia sub Adolpho Nassoviensi &
Alberto I. Imp. Misniæ Marchionibus Friderico adorso & fratre
Dietzmanno provincias hæreditarias partim adversus Parentem,
αὐτοπύου Albertum degenerem, partim adversus prædictos duos Im-
peratores propugnantibus, testis temporum loquitur historia.
Quas concussiones passa fuerit Germania sub Imperatoribus æmu-
lis Ludovico Bavaro & Friderico Austriaco, quas imminutiones,
iusto Helvetico fædere, tunc senserit, replicantibus historiarum
monumenta satis patefcit. Vix seculum abiit, ex quo Smalcaldico
bello, Imperatore Carolo V. potentissimo adversus Electorem Sa-
xon. Johannem Fridericum & confœderatos movente, harum di-
tionum locis vulnus inflictum fuit non exiguum. Excursionibus
etiam aliarum gentium, utpote Hunnorum sub Carolinis & Hein-
rico Aucupe, Vandalorum Imperio postmodum subjectorum sub
Ottonibus, Tartarorum sub Friderico II, si partem Polonia tum
temporis Silesiam Germaniæ provinciis annumerare vellemus, Bo-
hemorum Hussitarum sub Sigismundo, Turcarum etiam sub Ca-
rolo V. Germaniæ clavem tentantium, hæc natio fuit vexata. Ve-
rumenimverò sive diuturnitatem, sive gravitatem, sive locorum
pluralitatem spectes, vix ullum ex adductis hisce bellis cum Tri-
cennali præterito fuerit comparandum, ut vel nubecula citò tran-
sians, vel pugna umbratilis, vel quorundam duntaxat locorum ca-
lamitas conferenti fuisse videantur. Bellum Smalcaldicum, ut u-
num ex dictis cum præterito vocemus *ἡ πόλις ὁ ψι*, tanti certè vi-
sum fuit magni nominis Historicis, Sleidano præsertim ac Thua-
no, ut paginam in monumentis ipsorum utramque fecerit: at si
conferatur cum proximè præterito, vix fuit annum, & in hisce re-
gio.

gionibus semestri; nostrum tricennale; & in hisce regionibus, & præsidia spectemus hostilia, propemodum vicennale. Smalcaldicum unico prælio trans Albim commisso fuit absolutum: nostrum, cui fumus superstitis, innumeris præliis commissis, nec ferrum, nec flammæ potuerunt dirimere. Smalcaldicum aliquot tantum Germaniæ loca Bavariam, Franconiam & Misniam in primis attigit: nostrum omnes Germaniæ angulos ultrò citroque pervasit. Illo Cæsar Carolus & pauci quidam Status Imperii, Saxo præprimis & Hassiæ Landgravius implicabantur: nostrum hoc Status propemodum omnes maximos minimos cõprehendit, sed nec intra Germaniæ fines flamma cohiberi potuit, verum etiam ad externos longè lateque procurrit. Electore Saxone propè Mulbergam cæso, Hasloq; in Salinis Saxonis facto supplice, negocium superiori seculo (si reliquias & consequentia sejungimus) fuit confectum, & pax Germaniæ red dita: integrum vero decennium ad tractatûs pacis præsentis tantum posteriores, præliminaribus non insuperhabitis, fuit requisitum. Excursiones à gentibus exteris non tam inhabitandi, quàm diripiendi gratiâ superioribus seculis fuerunt institutæ, populatoribus istis, præsertim cum vim adversam sibi senserunt oppositam, vestigia dicto citius relegentibus: nos populos externos Germaniæ parte auctos jam viginti plus minus annos in visceribus nostris aluimus, & rerum potitos extimui.

Misniam, ex quo pervenit ad Wittekindi posteros continuâ ferie huc usque sibi succedentes (id quidem sub Henrico IV, Thimone primo Misniæ Marchione constituto, factum fuisse legimus) belli tempestate non unâ præsertim sub Adolpho Nassoviensi & Alberto Austriaco (ceum dictum in superioribus) bello Husitico sub Sigismundo, & bello Smalcaldico sub Carolo V. graviter afflictam scimus, verum ad fatales hæc calamitates, & bellum plus quàm bellum (uti civile Romanorum appellat Florus) quod inter flammæ & cineres adhuc gemiscentes modò sustinuit, tempestates priores collatæ prorsus evanescent.

Lipsia, vicissitudines tuas, quas intra XX. proximos annos experta es, quæso, nobis commemora, coge in unum omnes, quas sub Marchione Dieterico, sub Friderico admorso & Dietzmanno, sub
Mau-

Mauritio nondum Electore, cum seculo superiore quidem oppugnareris, sed non expugnareris, experta es, num ex quo lapis in te super lapide structus, similes proximè præteritis vidisti? Numquid ceu pila lusoria (si duas frustraneas obsidiones in unam summam computaveris) decies è manu quasi in manum intra proximum XX. annorum decursum agitata fuisti & missa? Num similes familiarum ortus & abortus, cum fraternæ calamitates λιμός, λιμός καὶ πόλεμος nexu indivulso se comitentur, vidisti? An unquam genti exteræ, cujus linguam non intellexisti, tam diu servivisti?

Liberata jam, Germania, Misnia, Lipsia, & ex turbulentissimis tempestatibus in tranquillum locata DEO laudes, & vota tua redde Altissimo. A DOMINO factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hæc est dies, quam fecit DOMINUS, exultemus & lætemur in ea. Quis ante triennium telam hanc inextricabilem tam brevi solvendam putasset? A DOMINO factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. DOMINUS est, cujus providentia in eo, quòd ἀταξίαν etiam confusissimam in genere humano ἀτάξιν revocare queat, solstitiali Solis radio clariùs elucescit. Quis nostrum pacatiora tempora paucis abhinc annis certò sibi fuisset pollicitus? Quot rebus humanis interea valedixerunt, qui votis calidissimis pacem postliminiò restituendam à Deo petierunt? Nos videmus & habemus. Sacrifica Deo laudes, Germania, Misnia, Lipsia, & vota tua redde Altissimo. Quoties in obsidionibus & aliis hujus belli periculis præsentissimis, si eripiaris, vitam piam Deo vovisti? Erepta es, ah redde vota tua Altissimo. Gratitude tuam non verbis tantùm, sed & ipsâ piâ vitâ per omnem vitam declara: non labia vitulorum, sed vitulos labiorum, imò, quoad super fueris, hostiam vivam Deoque placentem teipsum offer. Peccatis tuis hæc plagas meruisti: sanata es, ah peccatis in posterum nuncium mitte, ne gravius quid tibi contingat.

Altiùs expendens hoc beneficium Pientissimus Patriæ Pater,
Serenissimus ac Potentissimus Saxonix Elector, Dominus

&c

22724585
& Nutritius noster Clementissimus; Soteria per totum Ele-
ctoratum suum festiuitate, quantâ fieri poterit, maximâ XXII. cur-
rentis Julii, qui Mariæ Magdalenaë sacer est, DEO ter Opt. Max. ce-
lebranda suis Clementissimè indixit.

Cùm verò Musas nostras pace ac tranquillitate inprimis gau-
dentes hec beneficium incomparabile non parùm concernat, in-
gratitudinis hanc notam nobis inuri ne patiamur, si, DEO ter Opt.
Max. gratias solventibus aliis fidei consanguineis, nos officio debi-
to supersedere vellemus. Quare memoriam superiorum temporum
nobis refricantes & nos Academiae *σύνωμοι* dicto die XXII, horâ
dimidiâ duodecimâ, Musicâ vocali & instrumentali præmissâ, DEO
& Serenissimo nostro Electori pro beneficiis acceptis Oratione
panegyricâ in templo Paulino gratias devotas agemus.

Quò verò plus lucis actui huic accedat, utriusque Reipublicæ
Academicæ & Oppidanæ Proceres, Viros Adm. Reverendos, Ma-
gnificos, Amplissimos, Consultissimos, Experientissimos, Excel-
lentissimos, Spectatissimos, Clarissimos, Prudentissimos, Eximios,
Præstantissimos & Humanissimos, nec non studiosam juventutem
nobilissimam & florentissimam, ut honori nostro velificari, tantil-
lum temporis negociis aliis succidere, præsentia suâ splendidissi-
mâ panegyricum hunc condecorare, suasque preces pro salute pu-
blica nobiscum conjungere dignentur, officiosè ac cum pollicita-
tione officiorum reciprocorum rogamus.

DEUS Clementissimus, DEUS omnis pacis, bonum, quod
cepit, opus continuet, pacem nobis, & nos DOMINO nostro legi-
timo redditos conservet, sub umbra alarum suarum & Ruta Saxo-
nica tres hierarchias Chorum, Forum & Thorum protegat, omnes
hostiles insultus à cervicibus nostris averruncet, Spiritu S. suo in
semita recta nos ducat, & tandem hæc ærumnosâ vitâ perfunctos ad
æternæ pacis tabernacula per & propter CHRISTUM *μεσίτην καὶ
ἰκέτην ἡμῶν* perducatur, AMEN. P. P. XXI. Julii, Anno M DC L.

F I N I S.

712

um Ele-
XII. cur-
Max, ce-

mis gau-
ernat, in-
ter Opt.
cio debi-
mporum
II, hora
fsá, DEO
Oratione

ipublicæ
dos, Ma-
s, Excel-
Eximios,
entutem
ri, tantil-
endidiſſi-
alute pu-
ollicita-

m, quod
tro legi-
uta Saxo-
at, omnes
S. suo in
inctos ad
εἰς τὴν κγῆ
DC L.

VC 4585 Q4

ULB Halle

3

004 807 26X



V07





h. 34^b, 13.
OK 34^b

Vc
4585

BE
CH

RICA
TRI.
GER-

Par
SER

sagatis
ONIAE

In T

Julii,

L. H.

MAYERO

